

rent atque eleuent ad instar clangentis tubæ. Jam porrò iis quoq; respondendum est, qui nature, i. ei, quâ ad perorandum nascimur, naturali potentia atq; inclinationi tantum tribuunt, ut abundè satis ad conciones præparatos prætent eos, qui eiusmodi aliqua naturali dicendi vi instructi ad sacras conciones habendas accedunt; securi scilicet penitus de omni præceptorum Rhetoricorum artificio, quo ea quæ ad docendum & mouendum pertinent, inueniantur aptè & collocentur concinnè. Respondit hisce nature nimis estimatoribus diuus Augustinus præclaro illo capite decimo sexto, libri quarti De doctrina Christiana, ubi de præceptorum necessitate grauitè differit. Ipse hoc loco id tantum subiiciam breuiter; concionem ecclesiasticam non esse opus naturale, alioquin enim & ubique idem, & omnibus hominibus ex æquo commune foret: quod si naturale non est, necesse est, ut ex habitu aliquo proficiscatur; hæc enim duo sunt actionum humanarum principia; si ex habitu concionandi actio promanat, erit is vel diuinitus infusus immediatè, qualis fuit in Prophetis & Apostolis, vel per ordinaria media Spiritu sancto largiente acquisitus, qualis est hodie in ministris verbi: at verò quicquid animus ho-